

pugnantem. Cap. XII et XIII. Non sunt veri Epicurei, qui solam voluptatem appetunt: ipse enim Epicurus sancta et recta praecipit. Cap. XIV et XV. Voluptas et sensus virtuti et rationi, quibus adversantur, stricte obedire debent. Cap. XVI, XVII et XVIII. Ad beatam vitam sola virtus impense sufficit; si tamen plura requirimus, patet exinde, ad finem propositum nos nondum pervenisse; itaque praeceptis nostris, neque vitae tantum, inhaerendum erit.

1. Vivere, Gallio frater, omnes beate volunt: sed ad pervidendum, quid sit quod beatam vitam efficiat, caligant. Adeoque non est facile consequi beatam vitam, ut ab ea quisque eo longius recedat, quo ad illam concitatus fertur, si via lapsus est: quae ubi in contrarium ducit, ipsa velocitas majoris intervalli causa sit. Proponendum est itaque primum, quid sit quod appetamus: tunc circumspiciendum est, qua contendere illo celerrime possimus: intellecturi in ipso itinere, si modo rectum erit, quantum quotidie profligetur, quantoque propius ab eo simus, ad quod nos cupiditas naturalis impellit. Quamdiu quidem passim vagamur, non duces secuti, sed fremitum et clamorem dissonum in diversa vocantium, conteritur vita inter errores; brevis, etiamsi dies noctesque bonae menti laboremus. Decernatur itaque et quo tendamus, et qua, non sine perito aliquo, cui explorata sint ea, in quae procedimus: quoniam quidem non eadem hic, quae in ceteris peregrinationibus, conditio est. In illis comprehensus aliquis limes, et interrogati incolae non patiuntur errare: at hic tritissima quaeque via, et celeberrima, maxime decipit. Nihil ergo magis praestandum est, quam ne, pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundem est, sed qua itur. Atque nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quae magno assensu recepta sunt, quorumque exempla nobis multa sunt, nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista